5

DE JUBILÆO EXTRA ORDINEM INDICTO

A. SS. D. PIO VIII. P. O. M.

CUM SS. MISSIONIBUS APERIENDO

PAR. JOSEPH CAPOZZI

EJUSDEM SS. D. CAPPELL. HONOR. E. U.

AD CLERUM MURGANTINUM

ADLOCUTIO PARAENETICA

Gaudeamus omnes in Domino, F. D., dies festos celebrantes, quos fecit nobis Pius VIII. P. O. M., vere pius, bonus pastor, qui regit nos, et ut nihil nobis desit in loco pascuae nos collocavit, et super aquam refectionis educavit animas nostras. Jam enim sonat vox ejus in auribus nostris novam clangens jubilationis tubam. Ipse optat, ut si fieri possit, nemo de fratribus pereat, et consentientis populi corpus unum gremio suo gaudens mater includat. Hic est ergo vere fratrum amator. Hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate. Hic extendit dexteram, et dat nobis gladium aureum dicens: accipite sanctum gladium, munus a Deo,

in quo dejiciemus adversarios populi Israel. Hic jam fratrem profugum deducit per vias rectas, ostendit illi regnum Dei, et dat illi scientiam sanctorum, nec in vinculis derelinquit illum; immo affert illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos qui eum deprimebant. Per hunc iterum Deus visitavit plebem suam. Audiamus igitur vocem Ejus, et nolimus obdorare corda nostra; quoniam ipse abducet eorum cicatrices. Quid enim aliud nobis indixit novo, et extra ordinem jubilaeo, nisi ut renovemur spiritu mentis nostrae, et induamus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis? Nisi quia Dominus non obliviscitur nos in finem, nec avertit faciem suam a nobis? Jam iterum Deus per ipsum voluit congregare filios suos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas. Pacem nobis Christus dedit, dilectionis, et veritatis foedera incorrupta, atque inviolata. Fuso enim sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa sunt deleta, quibus homines antea a diabolo tenebantur. Quae autem ut ferventiori, uberique fructu fiant, coelestium munerum thesauros, quorum dispensationem Ecclesiae Deus credidit, Altissimus Pontifex protulit, et liberali manu erogavit. Quam aliter daret homo commutationem pro anima sua? Quid his bonis nunciatis fiat aequale? Diabolus confusus, mors soluta, paradisus apertus. O vere nos beati non quia solum remissae sunt iniquitates, sed quia tecta sunt peccata, ut non videantur. Avertit igitur Deus faciem suam a peccatis nostris, et

omnes iniquitates nostras delet. Beati oculi, qui vident quae vos videtis. Multi enim voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt, et audire quae auditis, et non audierunt.

Haec nobis evangelizavit bona Eminentissimus Antistes Bussi in novissima Synodo Dioecesana. Gratias igitur agamus Deo, qui dedit eamdem sollicitudinem pro nobis in corde illius, qui hanc eamdem exhortationem suscepit, et Dominus messis videns messem quidem multam, operarios autem paucos, ut deducat nos super semitas justitiae, operarios in messem suam, jam sollicitior misit ad nos fratres, quorum laus est in Evangelio per omnes Ecclesias in praetiosissimo sanguine Jesu Christi Domini nostri, et ordinati sunt comites peregrinationis in hanc gratiam quae ministratur a nobis.

Cognovimus profecto tempus visitationis nostrae; cognoscat et populus. Quoniam vero et illos, et nos binos misit Dominus ante faciem suam in Civitatem, et locum quo erit et ipse venturus, ut paremus vias ejus, et rectas faciamus semitas Dei nostri, laborantes cum illis in Evangelio, grandia quae alias nobis contulit dona divina dignatio, jugiter nunc custodire satagamus. Curemus deinde, ut quae nova facta sunt, non redeant ad vetustatem. Propter quod loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.

Primum quidem meminerimus, F. C., quod nobis dictum est: super montem excelsum, ascende tu, qui Evangelizas Sion, exalta in for-

titudine vocem tuam, qui Evangelizas Jerusalem. Exalta noli timere. Dic civitatibus Judae: Ecce Deus vester: ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur. Ecce merces ejus cum ipso: id est, merces nostra, quae est copiosa in Coelis. Jam nos ministri Christi, et dispensatores ministeriorum Dei frangamus panem exurienti, ne cum parvulus quaerat panem, non sit qui frangat ei. Excitemus nos quantum possumus, et somno veteris inertiae abrupto ad praedicationem curramus. Nos, inquam, praesertim qui sodalitati missionum Beatissimae Virginis Assumptae in Coelis nomen dedimus, et professi sumus: vocati specialiter pastores, et doctores ad consumationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionem filii Dei.

Agite ergo, F. C., qui statuti estis custodes super muros Jerusalem. Noctu, atque interdiu clamate: ecce appropinquat redemptio vestra. Ponite ob oculos institutum quod profitemini, et personam quam sustinetis. Sint pedes vestri Evangelizantium pacem. Sanate infirmos, et dicite illis: profecto pervenit in nos regnum Dei. Quando in anima quis sanatus fuerit, tunc veniet in eum hoc regnum. In Nomine Domini prophetemus, doemonia excludamus, virtutes magnas faciamus. Sit pro omnibus sermo noster, et praesertim pro his, si umquam fuerint, qui nostris temporibus discesserunt a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis Doemoniorum, in fide exitan-

tes, similes fluctui maris, qui vento movetur, et circumfertur. Jam Deus mendaces ostendit qui maculaverunt illum. Admonete eos, ostendentes contra Deum fieri, quidquid improbi fuerint ad destruendam ordinationem Dei humana voluntate conati, qui, Dei traditione contempta, alienas doctrinas appetunt. Nos autem fidei depositum custodiamus, devitantes profanas vocum novitetes, et appositiones falsi nominis scientiae, quam quidem promittentes, circa fidem exciderunt.

Quoniam vero non misit nos Christus solum baptizare, sed Evangelizare, Evangelizemus sermone, evangelizemus opere. Sint lumbi nostri praecincti, et lucernae ardentes in manibus nostris. Sic loquamur, sic faciamus, sicut per legem. In quo primum infirmitatem meam orationibus vestris commendo, ut detur mihi sermo in aperitione oris mei, sic loqui vobis, quemadmodum et mihi dicere periculosum non sit, et aliis audire salutare sit. Sic erit nobis virtus curationum, quam exiens sanabit omnes.

Cum autem debitis instructionibus, et dispositionibus omnes praeparaverimus ad sacramentum poenitentiae sancte, et salubriter percipiendum, assidue cum omni caritate, et patientia in supremo poenitentiae tribunali sedeamus, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exortamur et ipsi, ut omnes delictum suum cognitum Deo faciant, et injustitiam suam non abscondant, confitentes illam Domino adversum se, et Do-

minus, remittat impietatem peccati sui. Sic glorificabimus Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Rebus ita compositis, properemus cum plebe ad caetera opera injuncta, ut fructum uberius afferre possimus. Gratias agamus Deo Patri misericordiarum, et totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, in gratia Dei, quae data est nobis in Christo Jesu, quod in omnibus divites facti sumus in illo. Quam autem mercedem dabimus Ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis illius, qui tantum gaudium nobis fecit, et videre lumen Coeli, et bonis omnibus replevit hisce novis concessionibus? Agnoscamus Pium P. O. M. expectationem Israel, et salvatorem ejus in tempore tribulationis. Non recedat laus ejus de ore hominum; nam propter angustias, et tribulationes generis sui subvenit ruinae ante cospectum Dei nostri. Nec contenti simus gratias agere, sed templa adeuntes, praecedamus, et lento gradu sequantur iter nostrum familiae, et cum ipsis vota pro Eo offeramus. Ipse se nostris orationibus commendat. Hoc desiderium animae ejus non mihi tantum peculiari modo, sed cuncto populo Christiano aperire dignatus est, cum vix ad Summi Pontificatus apicem evectus, preces exquisivit totius Dominici Gregis, ut Divinus Pastor suo Vicario praesenti semper adstaret auxilio, et tutamine.

Oremus igitur Deminum, ut gratum Majestati suae hunc Pontificem sanctae matris Eccle-

sibi regimini diutius praeesse gaudeamus. Det Ei verbo, et exemplo, quibus praeest proficere, et sic per Eum unitatis, et pacis nobis dona concedat, ut destructis adversitatibus, et erroribus universis, Pastor ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempitaernam.

Oremus, et pro Rege nostro, ut Deus, et Dominus noster salvum, et incolumem servet ad nostram perpetuam pacem, virtutum quoque omnium percipiat incrementa, quibus Ipse, totaque regia familia decenter ornati, et vitiorum monstra devitare, et ad Deum, qui via, veritas, et vita est gratiosi valeant pervenire. Sic exaudiat nos ipse Dominus, qui coepit in nobis opus bonum, et perficiet usque in diem Christi Jesu.

Praeclara haec sunt hodiernae laetitiae argumenta. Sint tamen et ipsa irritamenta timoris. Si enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Quam rigidam aeterno Judici rationem de collatis ab ipso donis reddere cogemur, si tam singulari praesidio ad impetrandam peccatis nostris veniam, et medelam vulneribus uti neglexerimus? Tempus et occasio dictant, ut a peccatis solvamur. Et quoniam sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, offeramus etiam pro peccatis mortuorum sacrificia.

Adeamus igitur cum fiducia ad thronum gratiae, et deposito per veram poenitentiam peccatorum pondere, obsecrationibus, jejuniis, eleemosinis, aliisque pietatis operibus divinam nobis misericordiam conciliemus, et Domino, cujus dies prope est, corda nostra praeparemus. Venite,

ergo exultemus Domino, jubilemus Deo salutari uostro, praeoccupemus faciem ejus in confessione. Confortemus nos invicem, et cum ipsis apostolicis ministris agamus viriliter pro popolo nostro. Confortemus equidem, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus. Nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis. Ideo in omnibus exibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in verbo veritatis, in caritate non ficta, in virtute Dei. Dominus autem, quod in cospectu suo bonum est, faciet -- Dixi.

Tert. Cal. Mart. 1830.